

terra sine aqua quam pulvis? Sed, « Cito exaudi me, » Domine, » complue me, confirma me, ne sim pulvis quem projicit ventus a facie terræ¹. « Cito exaudi me, » Domine, defecit spiritus meus: » non differatur inopia mea. Abstulisti spiritum meum, ut desicerem, et in pulverem meum converterer, et dicerem tibi: « Anima mea » velut terra sine aqua tibi: » fac etiam quod in illo Psalmo sequitur: « Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ². » Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt. In spiritu suo vetera transierunt, in spiritu tuo nova facta sunt³.

XIII. « Ne avertas faciem tuam a me. » Avertisti a superbo. Etenim aliquando abundabam, et in abundantia mea elatus eram. « Ego enim dixi aliquando in abundantia mea: Non movebor in aeternum. Dixi: Non movebor in abundantia mea, » ignorans justitiam tuam, et constituens meam: « Sed tu, Domine, in voluntate tua » præstisti decori meo virtutem. Dixi in abundantia mea, Non movebor: » verum autem a te mihi erat quidquid abundabam. Et ut hoc probares a te mihi fuisse, « Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus⁴. » Post hanc conturbationem in qua factus sum, quia avertisti faciem tuam; post tedium spiritus mei, post conturbatum cor meum in me, ex eo quod avertisti faciem tuam, jam factus sum sicut terra sine aqua tibi: « Ne avertas faciem tuam. » Avertisti a superbo, redde humili. « Ne avertas faciem tuam a me: » quia si avertiris, « Similis ero descendantibus in lacum. » Quid est » Descendantibus in lacum? Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnet⁵. » Illi descendunt in lacum, qui etiam confessionem perdunt: contra quod di-

¹ Psal. 1, 4. — ² Id. ciii, 30. — ³ 2 Cor. v, 17. — ⁴ Psal. xxix, 7, 8. —

⁵ Prov. xviii, 3.

citur: « Ne coarctet super me puteus os suum¹. » Hanc profunditatem lacum appellat plerumque Scriptura, in quam profunditatem cum venerit peccator, contemnit. Quid est, contemnit? Jam nec ullam providentiam deputat; aut si deputat, ad eam se pertinere non putat. Proponit sibi peccandi licentiam, sine spe veniae habenis iniquitatis effusis. Non dicit: Revertar ad Deum, ut revertatur ad me: nec audit, « Convertimini ad me, et revertar ad vos²: » quoniam veniens in profundum malorum contemnit. « A mortuo enim, inquit, tanquam si non sit, » perit confessio³. Ne ergo avertas faciem tuam a me, et similis ero descendantibus in lacum. »

XIV. « Auditam fac mihi mane misericordiam tuam; » quoniam in te speravi⁴. » Ecce in nocte sum, sed in te speravi, donec nocturna transeat iniquitas⁵. « Habemus enim, ut dicit Petrus, certiore propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes tanquam lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris⁶. » Mane ergo appellat, post finem saeculi, cum viderimus quod in saeculo credimus. « Mane enim exaudies vocem meam, mane astabo tibi, et contemplabor⁷. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam; quoniam in te speravi. Si enim quod non videmus speramus, per patientiam expectamus⁸. » Patientiam querit nox, laetitiam donabit dies. « Auditam fac mihi mane misericordiam tuam; quoniam in te speravi. »

XV. Sed hic quid, donec veniat mane? Non enim sufficit mane sperare: aliquid opus est agere. Quare aliquid agere? Quoniam dicit in alio Psalmo: « Deum exquisivi

¹ Psal. LXVIII, 16. — ² Malach. vii, 3. — ³ Eccli. xvii, 26. — ⁴ Psal. cxlii, 8.

⁵ Id. lvi, 2. — ⁶ 2 Petr. i, 19. — ⁷ Psal. v, 5. — ⁸ Rom. viii, 25.

» in die tribulationis meae¹ : tanquam in tempore noctis
 » meæ Deum exquisivi. » Quomodo exquisisti? Manibus
 meis nocte coram eo ; et non sum deceptus. Manibus quæ-
 rendus est in nocte Deus. Quid est , manibus? Bonis ope-
 ribus. Coram eo : « Cum enim facis eleemosynam , noli
 » tuba canere ; et Pater tuus qui videt in occulto , reddet
 » tibi². » Quia ergo ita sperandum est mane , et ita nox
 ista toleranda est , et in ipsa patientia donec dies lucescat
 perseverandum est , quid interea hic agendum? Ne forte
 per te ipsum acturus es aliquid , ut merearis perduci ad
 mane? « Notam fac mihi , Domine , viam , in qua ingre-
 » diar. » Ideo lucernam propheticam accedit, ideo ipsum
 Dominum tanquam in testa carnis misit , qui etiam dice-
 ret : « Exaruit velut testa virtus mea³. » Ambula ad pro-
 phetiam , ambula ad lucernam prædictorum futurorum ,
 ambula ad verba Dei. Nondum vides Verbum in prin-
 cipio , Deum apud Deum⁴ : ambula ad formam servi , per-
 duceris ad formam Domini. « Notam fac mihi , Domine ,
 » viam , in qua ingrediar ; quoniam ad te levavi animam
 » meam. Levavi ad te , » non contra te. Apud te fons
 vitæ⁵ : « Ad te levavi animam meam , » tanquam vas ad
 fontem attuli : imple ergo me ; « Quoniam ad te levavi
 » animam meam. »

XVI. « Exime me de inimicis meis , Domine ; quia ad
 » te confugi⁶. » Qui aliquando a te fugi , « Ad te con-
 » fugi. » Fugit enim Adam a facie Dei , et abscondit se
 inter ligna paradisi⁷ , ut de illo diceretur in libro Job ,
 « Tanquam servus fugiens Dominum suum , et consecutus
 » umbram⁸. » Fugit a facie Domini sui , et consecutus
 est umbram : ad umbram enim fugit inter ligna paradisi.

¹ Psal. LXXVI , 3. — ² Matth. vi , 2. — ³ Psal. XXI , 16. — ⁴ Joan. i , 1.

— ⁵ Psal. XXXV , 10. — ⁶ Id. cxlii , 9. — ⁷ Gen. III , 8. — ⁸ Job. VII , 2,
 juxta LXX.

Væ si permanerit in umbra , ne postea dicatur : « Tran-
 » sierunt omnia tanquam umbra¹. Exime me de inimicis
 » meis. » Non ego hic inimicos homines cogito. « Non est
 » vobis collectatio adversus carnem et sanguinem. » Sed
 adversus quos? « Adversus principes et potestates , recto-
 » res mundi. » Cujus mundi? Non enim coeli et terræ :
 non enim regunt quod non fecerunt. « Rectores mundi : »
 sed cuius mundi? « Tenebrarum harum². » Quarum te-
 nebrarum? Utique iniquorum. « Fuitis enim aliquando
 » tenebræ , nunc autem lux in Domino³. Rectores mundi ,
 » tenebrarum harum , » rectores iniquorum : contra hos
 habetis luctamen , « Magnum prælium vobis est⁴ , » hos-
 tem non videre et vincere. « Adversus rectores mundi ,
 » tenebrarum harum , » diabolum scilicet et angelos ejus :
 non illius mundi rectores , de quo dicitur : Et mundus
 per eum factus est⁵ ; sed illius mundi , de quo dicitur :
 « Et mundus eum non cognovit. Exime me de inimicis
 » meis , Domine , quia ad te confugi. De inimicis meis , »
 non Juda , sed qui implevit Judam. Illum patior visum , il-
 lum expugno non visum. Accepit enim buccellam Judas , et
 intravit in eum Satan⁶ : ut iste David persecutionem
 pateretur a filio suo. Quam multos Judas implet Satan⁷ ,
 indigne accipientes buccellam ad judicium suum? « Qui
 » enim manducat et bibit indigne , judicium sibi mandu-
 » cat et bibit⁸. » Non malum est , quod datur , sed bo-
 num malo in judicium datur. Bene esse non potest male
 accipientis quod bonum est. Ergo , « Exime me ab inimi-
 » cis meis , quia ad te confugi. » Quo enim fugerem?
 « Quo ibo a Spiritu tuo? Si ascendero in cœlum , tu ibi
 » es : si descendero in infernum , ades. » Quid ergo res-
 tat? « Si assumpsero pennas meas ut columba , et volabo

¹ Sap. V , 9. — ² Ephes. VI , 12. — ³ Ibid. 8. — ⁴ Ibid. 14. — ⁵ Joan.
 1 , 10. — ⁶ Id. XIII , 27. — ⁷ 1 Cor. XI , 29.